

Kern / 3494

(1 - 19)

(5)
MEDICINAE EMPIRICAE
RECENTIORIS
P R I M O R D I A,

CONSENSU FACULTATIS MEDICAE,
P R A E S I D E
VIRO ILLUSTRİ, EXCELLENTISSIMO,
IO. CHRISTIANO REIL,
MEDIC. ET CHIRURG. DOCT.,
PROF. THERAP. PUBL. ORD., DIRECT. INSTITUT.
CLINIC., ACADEM. IMPERIAL. NAT. CURIOS.
SODALI,

GRADUM DOCTORIS MEDICINAE
ET IMMUNITATES
CAPELLURUS

DIE XXV. SEPT. MDCCXCVII

EXHIBET

CHRISTOPHORUS GUILIELMUS WILCKE,
MARCHICUS. *Namen*

H A L A E,
I N O F F I C I N A B A T H E A N A.

PHYSICAE EXPERIMENTALIS

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

V I R O

PERILLUSTRI, EXPERIENTISSIMO;

I. F. FRITZE,

REG. BORUSS. A CONSIL. SANCTIORIBUS,
PROF. THERAP. PUBL. ORDIN., DIRECT.
CLINIC. ETC.

PATRONO SUMME REVERENDO,

SACRAS ESSE VULT HAS PLAGULAS

CHRISTOPHORUS GUILIELMUS WILCKE.



0 2 17

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

LIBRARY

MAGDEBURG

UNIVERSITY

LIBRARY

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

MAGDEBURG

UNIVERSITY

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT



MEDICINAE EMPIRICAE
RECENTIORIS PRIMORDIA.

I.

PHILOSOPHIAE PRIMAE CUM ARTE MEDICA
PERNICIOSUM CONNUBIUM.

I.

Quum a priori inde seculo plures medicorum scholae eo convenerint, ut non ab obscuris caussis, neque ab actionibus naturalibus medicinae vias trahendas esse arbitrarentur, qua quidem re a dogmaticis penitus diffederunt, hujus doctrinae experimentalis incunabula seculo mihi videntur esse excolenda. Quemadmodum enim repertis jam medicinae auxiliis, homines deinde de rationibus eorum differere coeperunt, nec post rationem medicina est inventa, sed post medicinam inventam est ratio quaesita, ita redierunt iterum nostris

temporibus Britanni primum, deinde etiam Germani ad pristinam illam viam, ut a certis potius atque exploratis petenda esse artis medicae praesidia, id est, ab iis, quae experientia in ipsis curationibus docuerit, sicut in ceteris omnibus artibus, autumarent. Quae doctrina cum omnino adeo contraria sit ei, quae a quaestionibus philosophicis atque a ratione deducit medicinam, ut nunquam cum eadem, quovis demum modo id fiat, conjungi possit; hujus, dogmaticae nimirum priorum temporum scholae facies atque indoles prius adumbranda erit, quam ad ipsius experimentalis medicinae incunabula, quae Anglia fovit, transgrediamur.

2.

Ad initium enim prioris seculi late dominabatur per universas et philosophorum et medicorum scholas, philosophia sic dicta prima, quae a rebus ipsis sub sensus cadentibus nunquam doctrinam deduceret, sed in eo tantum versaretur, ut subtiles in contrarias partes disputationes ad regulas certas quasdam atque immutabiles proponeret, atque, nisi finiri aliquid posset, ad auctoritates ecclesiae, docto-

rum hominum et philosophorum pristinorum, praesertim vero Aristotelis confugeret. Et paucis quidem explicari non potest, quot quamque evidentia ex hac methodo philosophiae primae in omnes artes experimentales manaverint incommoda.

3.

Inficiari quidem non audeo, scholasticos, qui dicuntur, philosophos acie ingenii et praefantia intellectus non vulgari praeditos, singulari quadam imaginationis celeritate atque prope ignea vi excelluisse; nihilominus tamen a recta rationis, quae singulas scientiarum humanarum partes intercedit, dijudicatione quam maxime alieni fuisse videntur, similes rudibus Indiae incolis, quorum admireris artificium in plumarum millefaria varietate redigenda, despicias autem iudicium atque miseram, quam de pulcri vera ratione imbiberunt notionem. Neque insulam diutius in stili barbarie enucleanda, quippe quae, cum deseruissent exemplaria immortalia romana atque graeca, in omnibus medii aevi scriptis taediosa admodum observatur.

Objecta in quibus versabantur scholastici, eae artes fuerunt, quas Aristoteles in artem redegerat et ipsius theologiae partes speculativae atque subtiles. Tali modo vero has tractabant: A rerum ipsarum definitionibus generalibus, secundum naturam earum universalem, ordientes, in partes dirimebant, unde propositiones quasdam efficiebant, quas tamquam postulata seu problemata in utramque partem agitabant. Adductis autem variis ex contraria parte argumentis et citatis auctoritatibus scriptorum adversarios vincere, suaque defendere studebant enunciata. Ex hoc vero disputationis genere nullum fluere poterat commodum in cognitionum augmentum ipsarum, cum inhaerent tali modo terminis generalibus naturae ipsi nequaquam innixis, cumque praeter acumen ingenii atque disputandi artem nihil inde emolumenti sequi posset. Axiomata itaque, quae tamquam fixa atque stabilita supponebant scholastici, demonstratione egere non videbantur, unde futilia saepius in scenam ducebant mentis figmenta, quae sana ratio statim refutaverit, schola autem disputandi cupidine efflagrans ab utraque parte agita-

bat. Accedit, quod methodus haec in mathematicis atque philosophicis ipsis disciplinis fructuosa forsā paullum esse possit, cum tempestive adhibeatur, nequaquam vero sit applicanda ad artes, quae probabili conjectura occupantur, in quibus, nisi utile sit, quod quaerimus, vana est gloria nostra. Ut brevibus me expediam, disputationis hoc genus auxilium adfert egregium ad acuendam ingenii vim, ad versatile reddendum ingenium atque ad probandam intellectus humani virtutem, nequaquam vero ad augendam quasi solidam scientiarum substantiam. Quemadmodum enim exercitiorum genera, dum stadia certa percurrimus, dum equos agimus, dum venamur, dum pila et armis ludimus, corpus firmant, cum simul nutrimenti sufficientem capimus copiam; ita etiam disputationes scholasticae mentis vim acuere potuerunt, si tantummodo accederet observationum et experimentorum copia, a quibus cum abstinere scholastici, extenuata potius fuit atque debilitata animi humani facultas.

5.

Huc tandem infelix illa atque perniciofa adjuncta erat proclivitas aut potius necessitas

quaestiones cujusvis generis ecclesiae imperio subjiciendi, atque rationem humanam fidei catholicae subjugandi. Quum enim in utramque partem satis disputatum fuerit, absque ulla propositorum finitione refugerunt sapientiae professores in gremium ecclesiae, quae igne gladioque cancellos imperii sui circa omnes scientiarum omnium regiones extenderat. Monachi erant, qui sapientiae studium suo modo, id est, religioso excolebant, quorum itaque referebat, ad obedientiam erga ecclesiae enunciata coërcere quidquid efferre se ex scholis cupiebat. Monachi erant sapientiae doctores, umbratili et devota vita pallefcentes, a communi rerum usu alieni, qui itaque ignorabant, quid juvet scientias, aut quid ipsis officiat.

6.

Paullum imminuta est scholasticae philosophiae potestas, postquam catholicae religionis reformatio caput extulerat. Etenim cum hac orthodoxa religione adeo intime cohaerebat scholasticae disciplinae dominium, ut ruente altero debilitaretur atque labefactaretur etiam altera. Antequam autem libertas rei-

publicae Anglicae, atque liberius cum ea conjunctum artium liberalium studium magis cohereretur, penitus eliminari non potuit pernicies illa generis humani, quae solis inhaereret ratiociniis et disputationibus.

Restitutis simul philosophiae Graecae pristinis variis speciebus, id tandem perspexerunt eruditi, praeter Aristotelem, alios quoque fuisse prae Graeciae philosophos, quos contemnere adeo nefas sit, ac illum solum venerari. Restituto fuit seculo jam decimo quinto Platonis divina philosophia, in usum revocatae et aliae scholae. His quidem adminiculis adjutum est liberius in philosophia iudicium, ut tandem, qui penitus destrueret philosophiam primam, seu scholasticam, apparere posset.

II.

BACONIS VERULAMII MERITA:

7.

Franciscum BACONEM VERULAMIUM habeo statorem primum atque patrem omnis illius philosophiae studii, quod non a ra-

tione inde proficiscitur, sed experientiam, tamquam ducem atque indicem unicum viae philosophandi agnoscit. Hoc viro vix alacrius atque magis prope divinum ingenium ea tulit aetas, et meliorem atque perspicaciorem nostrum tempus ducem non habuit: quem totum a natura ad emendandam philosophiae naturalis indolem factum esse, scriptorum ipsius quaevis fere pagina loquitur. A pueritia enim meditari consueverat, ea autem iudicii acie utebatur, ut in abditissimos rerum nexus potuerit penetrare. Et, quamquam negari non possit, singulas disciplinarum partes haudquam eum adeo perscrutatum fuisse, ut iudicia ejus ubique nobis probata satis atque demonstrata videantur; merita tamen immortalia ipsius de emendanda philosophandi methodo posterorum gratitudinem ipsi acquisiverunt.

8.

Natus fuit BACO VERULAMIUS in Anglia anno 1560. parentibus illustribus generis, eo tempore quo literae insigni studio in aula Elisabethae commendabantur. Itaque cum praecocis ingenii puer insolitae mentis specimina subinde ederet, in favorem reginae jam

ascendit. Annos natus duodecim in academi-
am Cantabrigiensem studiorum ratione missus
est, ubi magno ardore in artes liberales, et
quae tunc una dominabatur, philosophiam
Aristotelicam, incubuit, quam tamen, conten-
tionibus tantum natam, adolescens adhuc jure
contemnere coepit et suo cortice navare, suis-
que quibus animus pollebat, opibus uti con-
stituit ¹⁾. A patre vero ad artes politicas tra-
ductus, comes legati anglici, in Galliam missus
est, ex quo itinere, cum iudicii maturitas aet-
tatis imbecillitatem emendasset, tantos fructus
reportavit, ut anno undevigesimo de statu Eu-
ropae praeclaras edere observationes posset.
Redux in patriam anno 1580 multum otii et
temporis corrigendae philosophiae tribuit, ex
quibus ejus curis postea instauratio ejus magna
originem duxit. Scripsit enim temporis par-
tum maximum, cum vix Jacobo I. literis fa-
venti commendatissimus sollicitator regius con-
stitutus esset, ex quo deinde magnum opus de
augmentis scientiarum construxit ²⁾.

1). Rawley's life of Lord Bacon, p. 3.

2). Bacon, Epist. ad Fulgent. in ejus Opp. Voll.
II. p. 404 (edit. Lond. fol. 1740) Kippis Bro-
graph. Britann. Vol. I. p. 451.

In hoc opere immortalis de augmentis scientiarum ait ipse, se aeditui vices egisse, qui campana quosvis homines ad templum convocaverit 3). Posthabitis enim aridis scientiarum enumerationibus intellectus humani vires, facultates, objecta, scientiarum partitiones, omnemque disciplinarum circulum tanta *angustia* prosequitur, ut meditationis profunditas et abundantia merito lectorem in admirationem abripiat, confiteritque ex hoc demum opere, quantas quamque divites doctrinae regiones nondum detexerit humanae mentis industria, quae detegendae sint, et quot se nobis considerata offerant, quae hactenus neglecta erant atque ignorata.

Octodecim tandem annorum interjecto spatio aliud opus condidit, novum organon, tanti laboris et acuminis librum, ut primum inter scripta recentiorum philosophorum locum occupare ipse auctor judicaverit. In quo,

3) Ej. epist. ad Comit. Salisb. in Opp. Vol. IV. p. 565.

relicta scholis dialecticae et fyllogismi cura, parum referendis naturae arcanis idonea, inductionem ex observationibus manantem regulis munivit, in usum deduxit et ad sensum atque experimentorum fidem ratiocinii fundamenta coëgit. Ex quo patet, novum hoc organon ab auctore naturali disciplinae potissimum dictum esse. In hac vero tractatione obscurior quidem est, et novorum terminorum atque partitionum artificio lectorem remoratur, quae causa fuit, cur non omnem, quem potuit, fructum retulerit: nihilominus observationes continet praestantissimas, quibus rerum naturalium et scientiarum fere omnium limites egregie possunt amplificari, cum, abjecto sectae studio, ad hunc finem totus respiciat. Maxime vero praëjudiciorum naturam, vim atque damna vivis depinxit coloribus, causasque mire detexit, quae in indaganda per tot secula philosophiae veritate obstiterunt, quominus hoc sine potiti sint philosophi. Ita via parata ad naturalem philosophiam transit, et saxum quidem totum non volvit, multa tamen attulit, quibus posterior aetas praestantissimum naturalis doctrinae aedificium superstruxit.

II.

In sanctius denique regis consilium anno 1619 adoptatus, cancellarius regni constitutus est. Ob varia vero usurpata procerum regni privilegia abrogata est ipsi dignitas atque ipse carceri traditus, ex quo denique liberatus in contemplatione et studiis perrexit ad mortem usque, quae 1626 accidit. Fama autem ejus atque gloria in aeternum manebunt, quamdiu genus humanum eos venerabitur, qui summa in id contulerunt beneficia.

12.

Ut de meritis ipsius circa artem medicam paullo uberius loquamur, tractatum de eadem in opere de augmentis scientiarum introspicere libet 4). Incipit ab subjecto medicinae, quod est corpus humanum, adeo subtile atque varium, ut magnam quidem medendi facultatem praebeat, magnam vero etiam aberrandi facilitatem. Quemadmodum itaque ars ista inter praecipue conjecturales, ita inquisitio ejus reponenda est inter summe arduas

4) Lib. IV. c. 2.

arduas accuratasque. Varia ista atque subtilis corporis compositio et fabrica efficit, ut sit instar organi musici operosi et exquisiti, quod harmonia sua facile excidit: unde in eo plane consistit medici officium, ut sciat humani corporis lyram ita tendere et pulsare, ut reddatur concentus minime discors et insuavis. Cum adeo sit conjecturalis ars, locum amplio-rem dedit non solum errori sed etiam imposturae; siquidem omnes aliae propemodum artes et scientiae virtute sua et functione, medicina fere sola successibus, iniquissimo sane iudicio, aestimatur.

13.

Medicina igitur BACONI adhuc aliter comparata esse videbatur, ut fuerit magis ostentata quam elaborata, magis etiam elaborata quam amplificata, cum labores in eam infumti potius in circulo quam in progressu sese exeruerint. Quod praesertim ad curationem morborum attinet, multa quidem desiderat, ex quibus pauca proponit:

a. Intermissio diligentiae Hippocratis utilis admodum, atque accuratae, cui mos erat, histo-

B

rias observationum in aegris institutarum fideliter componere, referendo qualis fuisset morbi natura, qualis medela, qualis eventus. Hanc narrationem desiderat, et jure quidem, in suorum temporum medicis, quippe qui, solo fere **BALLONIO** excepto, observationis studio substituerant futilium commentorum atque hypotheseum studium. Hanc narrationem non ita fieri debere putat amplam, ut plane vulgata et quae quotidie obveniant, neque tam angustam, ut solummodo mirabilia et stupenda complectatur. Multa enim in modo rei et conditionibus ejus nova sunt, quae in genere ipso nova non sunt. Qui autem ad observandum adjicit et animum, ei etiam in rebus, quae vulgares videntur, multa observatu digna occurrent.

14.

b. Item in disquisitionibus anatomicis fieri solet, ut, quae corpori humano in universum competant, ea diligentissime, usque ad curiositatem, et in minimis quibusque, notentur. At circa varietatem, quae in diversis corporibus reperitur, medicorum diligentia fatiscit. Ideoque **BACO** anatomiam simplicem

luculentissime tractari asserit, anatomiam comparatam desiderari statuit; ad quam quoque plurimarum dissectionum attenta et perspicax observatio adhiberi debet. In differentiis multifariis figurae et structurae partium internarum esse causas continentes multorum morborum quaerendas; quod non attendentes medici humores interdum minime delinquentes accusant, cum ipsa mechanica partis alicujus fabrica in culpa sit. In quorum morborum cura opera luditur, si adhibeantur medicinae alterantes, sed emendanda res est et accommodanda seu pallianda per victus regimen et remedia familiaria. Similiter ad anatomiam comparatam pertinent accuratae observationes tum humorum omnigenum, tum vestigiorum et impressionum morbosarum, quae perfunctorie tractantur aut silentio praetereuntur.

Desiderat porro BACO anatomiam vivorum brutorum, cum, licet dissimilis sit quantum fructura corporis animalis, adhibito tamen judicio egregie satisfacere possit physiologiae haec inquisitio.

c. Iure accusat vir ingeniosissimus sui temporis medicos, morbos nimis cito insanabiles pronunciare, cum incuria medicorum tali modo lege quasi fanciatur et ignorantia ab infamia eximatur. Ideoque necessarium putat, ut egregii nonnulli atque magnanimi medici excitentur, qui huic operi, quantum largitur natura rerum, incumbant, novaque forsan invenient remedia, quibus fugari possint morbi alioquin medicorum conatus eludentes.

Officium quoque medici putat BACO, ut, abjecta prorsus omni curationis spe, excessum tantum praebet e vita placitum atque suavem. Siquidem non parva est felicitatis pars *εὐδαιμονία* illa, quam Augustus Caesar, quoties audiisset, cito ac nullo cruciatus defunctum quempiam, sibi suisque precari solebat.

d. In curationibus morborum id desiderare pergit auctor, quod medici, licet generales curationum intentiones non male persequantur, particulares tamen medicinas, quae

ad curationes morborum singulorum proprietate quadam spectant, aut non bene norint, aut non religiose observent. Nam medici traditionum et experientiae probatae fructum magisteriis suis destruxerunt et sustulerunt; addendo, demendo et mutando circa medicinas, prout iis libitum fuerit, et fere pharmacopoeorum more quid pro quo substituendo, ita superbe imperantes medicinae, ut medicina non amplius imperet morbo. Medicamenta illa, quae prostant in officinis, potius in promptu sunt ad intentiones generales, quam accommodata et propria ad curationes particulares. Hinc praepremis fieri, ait, ut empirici et vetulae saepenumero in curandis morbis felicius medicis ipsis operentur. Plurimum itaque referre censet, si medici aliqui et ratione et usu insigniores, opus aliquod conficiant de medicinis probatis atque experimentalibus ad morbos particulares. Nam quod speciosa quis ratione nixus, existimet decere medicum doctum remedia potius ex tempore aptare, quam certis praescriptis insistere: id fallax esse censet, atque experientiae non satis attribuere, iudicio plus nimis,

e. Miratur deinde BACO, neminem adhuc existisse, qui per artem thermas naturales et fontes medicos imitari annixus fuerit, cum tamen constat, thermas illas et fontes virtutes suas ex venis mineralium, quas permeant, nancisci, quin etiam possit humana industria discernere et separare quasdam partes aquarum mineralium. Hoc artificium expectat de chemiae recentiorum augmento, in qua spe frustratus non est.

f. Maximi denique ipsi videtur momenti, quod medendi ratio sit nimis compendiosa, quam ut insigne aliquid aut arduum praestare possit. Etenim, si quis existimet, medicamentum aliquod tam potens atque felix fieri posse, ut usus ejus simplex curationi alicui grandiori sufficiat, opinio est magis blanda quam vera. Debent medici ab initio post morbum bene prospectum ac agnitum, seriem curandi ordinatam meditari, neque ab ea, absque gravi causa discedere.

Ea pleraque summi viri desiderata, quorum nonnulla ejusmodi sunt, ut optimam potuissent medici artis medicae reformationem moliri, si iis satisfaciendis incubuissent! Negari quidem nequit, nonnulla eorum tanti momenti nequaquam instar habere, quantum putavit auctor, intimae certe artis nostrae cognitionis experts. Id etiam judicium ferendum arbitror de opinionibus, quas circa vitam prolongandam imbiberat. Fuit tamen eo potissimum nomine stator atque parens recentioris medicinae experimentalis, quod regulas atque methodos stabiliret, secundum quas omnis philosophia naturalis excoli atque emendari debeat. Haec vestigia prementes varii clarissimi philosophi atque medici lumen tandem accenderunt, quod tenebras atque coruscantia phantasmata theoriarum fallacium dissipare posset atque naturae judicia confirmare.

III.

EXPERIMENTALIS SCIENTIAE INCREMENTA.

20.

Eodem fere tempore, quo BACON VERULAMIUS experimentalem scientiam certis quibusdam ac fixis regulis adstringeret, orta est societas peculiaris physica Romae, quae Lynceorum nomen tulit, convocata in aedibus Friderici CESII, clarissimi promotoris scientiarum. Huic societati addicti physicas scientias summo studio insignique ardore colebant, experimenta varia et chemica et physica instituentes, calculosque mathematicos cum experimentalibus scientiis conjungentes. Magnum sidus huic societati illuxit in GALILAEO GALILAEI, Pisano, divini ingenii viro (nat. 1571. † 1641.) cui posteritas insignia atque multiplicia physicarum disciplinarum augmenta tribuit. Qui cum philosophiae Aristotelicae taedium concepisset, veteres Graecos adiit, mathesi se tradidit, cujus elementa ex Euclide haurire coepit; ejusque demonstrationes ita proprio Marte adsecutus est, ut huic se studio, dimissa medicina, cui se devovere coeperat, totum permitteret et Archimedeis se

scriptis immergeret. Inclariuit praesertim motuum legibus, macularum solis indole, solisque vero positu fixo atque immobili, libra hydrostatica, aliisque praeclarissimis inventis, donec ab ignorantia, invidia et religiosa zelotypia censorum Romanorum accusatus, carceri traderetur.

21.

Sequebantur ipsum Itali plures, qui ab ore ipsius pependerant, inventa ejus auxerunt, atque experimentalis doctrinae methodum ad alias disciplinas applicaverunt. Inter quos eminent praesertim Evangelista TORRICELLI (nat. 1602. † 1647.) Florentinae scholae doctor clarissimus, qui non vitra tantum artificialia, quae telescopia et microscopia vocantur, correxit, sed motus leges egregie illustravit, horroremque vacui Peripateticum eliminavit e physicis scholis, cum elasticitatem fluidorum, praesertim aëris, invenisset. Insignia porro nomina sunt asseclorum GALILAEI, Benedict. CASTELLI, Vincent. RENIERI, Bonavent. CAVALIERI, Vincent. VIVIANI, Carol. RINALDINI, Alphonf. BORELLI, Anton. OLIVAE, Alex. MARCHETTI, Paul. del BUONO,

Franc. REDI, Laur. MAGALOTTI, aliorumque. Quorum vero aliqui nimis properantes in applicandis calculis mathematicis ad artem medicam, e via recta experimentalis abierunt in sectam peculiarem iatromathematicam, cujus auctor fuit Alphonf. BORELLI. Id tamen tribuendum meritum huic scholae, quod, cum in mathesi quidem cogitari aliquid sine imagine non possit, sensibus etiam percepta rerum imago physicis et medicis semper observaretur, neque hyperphysicis atque transcendentalibus amplius inhaerent notionibus, quas scholastici introduxerant. Quodsi vero ab usum deterrimum hujus methodi exemplo clarissimo illustrare volueris, Renati CARTESII, celeberrimi philosophi tibi occurret philosophia, quae a mathematicis inde calculis proficiscens, sub imagine quadam quodcumque figmentum imaginationis sibi efformaret: eum tamen fructum tulit, ut causae finales ex physica praesertim corporis humani averruncarentur, substitutis causis propioribus et efficientibus.

22.

Non possum quin deinde Petro GASSENDIO, restitutori philosophiae Epicureae in-

signia tribuam merita in emendanda atque illustranda methodo experimentalis. Quum enim Epicurus non nisi a sensibus atque experientia omnem deduceret philosophiam; GASSENDIUS quoque id maxime urgebat, ut empiricam methodum instauraret atque illustraret. Tali modo tota philosophia naturalis commodum id accepit, ut ad sensus revocarentur figmenta sapientiae professorum, neque tamen eo minus occasionem praebuit haec Epicureae scholae restitutio, ut corpusculorum individuorum forma, moles, figura atque indoles iusto plus in censum veniret. Quae atomata corpuscula cum nec oculis videri nec sensibus contrectari possint, ad fictitias iterum redierunt philosophi opiniones, quod et ex CARTESII et ex BERNERII, qui GASSENDI philosophiam in compendium redegit, et ex aliorum ejus aetatis scriptorum monumentis clare perspicitur.

23.

Maximum certe cepit incrementum disciplina experimentalis ex inquisitionibus ipsis, quas consilio BACONIS VERULAMII moti, societates eruditae, primum in patria ipsius,

deinde vero in Germania atque Gallia instituerunt. Sedecim enim annos fere post mortem BACONIS orta est prima societas scientiarum Londinensis (anno 1642) quae, consilia summi viri sequens, ipsum omnino velut statorem suum atque auctorem agnovit. Quot quantaeque autem merita sibi acquisiverit haec societas circa amplissimum scientiarum imperium, brevibus explicari nequit. Exemplum praesertim ipsius illustre suscitavit et in Gallia et in Germania eruditos, qui conjunctis viribus perferutari naturam atque experimentalem excolere philosophiam studebant.

§. 24.

Quodsi origines hujus societatis curatius inquirimus, Germanum vocant ipsi Angli 5) auctorem, Theodorum HAAK, e Palatinatu natum, cum quo amicitiam inierunt, qui consilium ipsius secuti, societati, privatae adhuc tunc temporis, ortum dederunt, Io. WILKINS, Episcopus Chesterensis, Jonathan GODDARD, Georg. ENT, Franc. GLISSONIUS, medici,

5) WALLIS praefat. ad. grammat. lingu. Angl. p. VI. (ed. Lond. 1765, 8.)

Sam. FOSTERUS astronomus, Christ. WREN, architectus, Io. WALLIS, Matth. WREN, Seth WARDIUS, Episcopus Exeterensis, BOYLIUS, Guil. PETTY, Rook et Bathurst. Convenerunt autem in aedibus GODDARDI, ubi artifex morabatur, qui in poliendis vitris atque instrumentis artificialibus insignem acquisiverat gloriam. Primus autem finis fuit societatis, ut, posthabitis omnibus diffidiis de religionis et politicarum rerum discrimine, spretis scholasticis figmentis, novae incumberent Baconianae philosophiae experimentalis. Nullo itaque respectu ad religionem habito in numerum suum receperunt quosvis eruditos et rerum gnaros homines, qui, liberi a praejudiciis, naturae ipsius studium praeferrent philosophiae theoreticae et scholasticae.

§. 25.

Eo magis necessaria erat haec a praejudiciis scholae, a religionis, cultusque divini discrimine abstinentia, quo vehementiora tunc temporis orta erant diffidia et bella civilia ob religionis differentias. Aeque itaque jure Itali, qui catholicam profitebantur religionem, recipiebantur ac aliarum regionum incolae.

Dicitur quoque hac quidem occasione a Christophoro WRENIO fuisse stabilitus ordo quidam mystarum, qui artifices cujusvis nationis atque cultus, certis quibusdam cerimoniis recipiebat, caementariorum nimirum liberorum, eo praesertim fine, ut Itali artifices juvare possent opifices in exstruendo amplissimo templo S. Pauli Londinensi. Cujus vero ordinis sacri origo paullo antiquior nobis videtur, quam vulgo praedicatur. Exstat enim epistola LOCKII, in qua ex Bodleyana bibliotheca depromit quaestiones cum responsis, quae attinent ad caementariorum liberorum arcanum, scriptas manu ipsa Henrici sexti, Regis Angliae 6). Quae quaestiones si authenticae sunt, referenda sunt primordia ordinis ad medium seculum decimum quintum. Missa autem haec faciam, cum uberiolem requirere videantur disquisitionem, quam finis hujus tractatus concedit.

§. 26.

Methodus ipsa, quam sequebantur societatis Londinensis sodales, fuit ea, quam BACO

6) The lives of Iohn LELAND, Thom. HEARNE and Anth. a WOOD, vol. I. p. 96 (ed. Oxford. 1772)

VERULAMIUS primus suaferat, experimenta-
lis nimirum. Experimenta quidem ipsi sode-
les instituire jubebantur, pro lubitu ipsorum,
ut optio esset ipsis, quamnam partem scientiae
experimentalis colere vellent. Iunctis autem
viribus accedebant ad haec experimenta, ne
singulorum industria hebetaretur. 7) Injunge-
batur ipsis, nec rariora tantum, nec monstrosa
sola quaerenda esse, sed tritissima quoque at-
que vulgaria inquirenda, quae a veteribus
maxime neglecta fuerint. Et quemadmodum
libertas omnino non limitata ipsis concedeba-
tur, quidquid investigandi, quod perquisitione
dignum videretur, ita monebantur, minime
praeoccupandum esse iudicium ante rerum
investigationem, sed cautissime esse naturam
exponendam.

§. 27.

Ad annum 1658 usque, his legibus ob-
stricti, egregiis laboribus inclaruerunt pri-
mi societatis sodales. Cum vero 1659 aedes
eae, in quibus convenerant, domicilia mili-
tum fierent, multique sodales dispergerentur,

7) Sprat's history of the roy. society of Lond.
p. 83. f. (4. Lond. 1667.)

paullatim debilitatus est pristinus societatis vigor, donec anno 1660, cum rex Carolus II. reverteretur, immunitatibus regis ditaretur societas atque nova gloria efflorescere inciperet. Ad exteros mox transferunt laudes novae hujus societatis, ut et Germani et Galli hoc exemplum imitarentur. Maximum vero atque illustrissimum societati decus attulit Robertus BOYLE, Comitum Corkii filius (nat. 1627. † 1691.) qui, mystico stylo e chemia relegato, eximiis inclaruit experimentis, quibus et physica corporis humani et totius naturae illustrari posset. Hujus summi viri praeclarissimum exemplum plures sequuti sunt, tum cives Britannici tum etiam exterarum regionum incolae.

28.

Academia imperialis naturae curiosorum anno 1652. a medico Schweinfurtenfi, Jo. Laur. BAUSCH, stabilita, id egit, ut experimentalis scientiae imperium extenderetur et observationum physicarum, anatomicarum et medicarum copia augetur, posthabitis quibusvis
reli-

religionis et scholae diffidiis ⁸⁾. Sociis primariis Jo. Mich. FEHRIO et Georg. Balthaf. METZGERO, utroque medico Schweinfurtenſi, adjutus BAVSCHIVS eaſdem rationes iniit, quaſ ſecuta erat ſocietas Londinenſis, ſimileſque reſtulit haec academia fructuſ, ut deſereretur regio hypotheſium ſublimiſ, nulliſ ſubſtrata obſervationibuſ, ſolaque excoleretur experientia.

29.

Simili plane modo exorta eſt academia ſcientiarum Pariſienſis, cujuſ fundamenta jecit Petruſ MICHONIUS, abbaſ BOURDELOTIUS, dum 1650. academiã Carteſianã, quae ſummi philoſophi doctrinã excolebat, ſtabiliret. Anno 1666 demum, COLBERTI, regiſ Galliarum amici, munificentia ditata eſt ſuiſ quoque immunitatibuſ, eaſdemque legeſ recepit haec academia, quibuſ ſocietas Londinenſis obſtringebatur. Cuique arti ſuiſ tribuebatur profeſſor, cuique experimentalis ſcientiae parti ſuiſ ſodalit, qui illã excole-

8) FÜCHNER hiſtor. academ. natur. curioſ. p. 27. (4. Hal. 1755).

ret. Tali modo factum est, ut DUNERNEYI, Claudii PERRAULTII aliorumque laboribus tantopere tamque brevi tempore excoleretur anatomia et corporis humani et brutorum, utque eo modo et chirurgia et medicina ipsa fummos referrent fructus.

IV. THOMAS SYDENHAMUS.

30.

Tandem felicissima artis nostrae fors aureum praxeos medicae aevum attulit in summo empiricae et experimentalis scholae lumine, Thoma SYDENHAMO (nat. 1624. † 1689.) qui, unicus fere post Hippocratem, experientiae rectam rationem atque viam ita complanavit et munivit, ut de ejus erga rempublicam medicam meritis numquam ita magnifice dicere possim, quin ejus dignitas id sit superatura. Nullis scholae opinionibus vel praejudiciis occupatus, unice BACONIS leges sequebatur, curationesque morborum ad naturae nutum tali modo reformavit. Qui enim ipsum antecesserant medici, ab opinionum commentis seducti atque irretiti, naturam humanam juxta scholae opiniones explicare solebant: at-

que vel chemico modo functiones corporis et medicaminum actiones, vel mechanico enucleare satagebant. Ipse vero, soli experientiae fidens, neque ultra progrediens, quam haec concedat, ea egit, ut februm ratio magis ex remotis causis, ex epidemicis causis peteretur, quam ex humorum labe aut ex vasorum structura mutata, velut ex causa proxima. Suasit deinde, more Hippocratis, ea potius respicienda esse, quae februm periodos generales complectuntur, quam quae naturam atque indolem earum latentem attinent, classesque morborum ex causis potius remotis et ex symptomatibus essentialibus esse derivandas, quam ex precaria causa proxima. Faustissimo consilio purgavit artem salutiferam a fordibus, quibus a millenis inde annis inquinata esset, ut calidum regimen, sudorifera, humorum corrigentia ex arte nostra relegaret, revocaretque pristinam methodum Hippocraticam, quae versatur potissimum in mitigandis motibus nimis crudi stadii, promovenda autem coctione. Naturae vires syDENHAMUS acutissime indagavit, quas respicere medicus ubique debeat, neque diutius insistere causarum latentium remotioni.

31.

Sic quoque chronicorum morborum indolem observationibus suis egregie illustravit meritissimus SYDENHAMUS. Sicut antiphlogisticam curationem naturae nutibus esse idoneam statuit in morbis acutis, ita etiam chronicos morbos non levioribus modo aut humores corrigentibus remediis impugnavit, sed iis, quae constitutionem ipsam mutare atque ita sanitatem restituere valent. Observationes ipsius de hystericis et arthriticis adfectibus immortale nobis sistunt exemplar tum solidae ac subactae eruditionis, tum etiam experientiae felicissimae.

32.

Hujus viri vestigia presserunt, quotquot nostra aetas habuit, insignes medici: huic se gratitudinis lege obstrictissimum esse; fatebantur BOERHAAVIUS, STOLLIUS, ZIMMERMANNUS aliique celeberrimi medici, qui experimentalis methodo inhaerentes insignia attulerunt arti nostrae incrementa. SYDENHAMI itaque conatibus effectum est, ut eo sensu empirica pristina schola restitueretur, quod alieni nostri medici a ratiociniis, experientiam

folam ducem agnoscant, atque, si felix scientiarum fors id largitura est, tandem optime culmen nostrae artis attingere possint.

33.

Patet denique ex hac disquisitione, quam male quamque inconsideranter ii agant, qui ad BACONIS regulas esse effectam BRUNONIS recentiore doctrinam statuunt. Toto certe coelo differunt BACONIS praecepta a disciplinae ratione ea, quae simplicem sibi efformat naturam, qualis numquam ipsa observatur, quaeque ratiocinia potius credit lapidem lydi-um experientiae. Abjudicanda itaque est BRUNONIS adfœclis haec gloria, quod BACONIS praecepta ipsi sequantur, tribuenda autem observatoribus nostri seculi summis, qui nulli scholae addicti naturam agnoscunt unicam magistram.


T H E S E S.

- I. Nausea et vomitus quoad naturam, non quoad gradum differunt.
 - II. Energia (Wirkungsvermögen) et irritabilitas sunt vires corporis humani a se invicem diversae.
 - III. Causa proxima morborum in mutatione mixtionis vel formae materiei corporis humani posita esse videtur.
 - IV. In morbo non solum quoad gradum, sed etiam quoad naturam mutari potest facultas agendi organi.
 - V. Delirium non est symptoma sed morbus.
 - VI. Febris nervosa non est genus sed species februm.
 - VII. Laxantia et emetica non mere evacuando, sed contrahendo corpori morbos, profunt.
 - V. Vermes intestinales omnino in corpore humano sano morbum excitare possunt.
-

1078

PICA





(5)

MEDICINAE EMPIRICAE
RECENTIORIS
P R I M O R D I A,

CONSENSU FACULTATIS MEDICAE,

V
I O.
PROF
C
GRA
CHE
I

